

FULM - AL - AEX - AEX02

60/2

En cumplimiento del encargo
que V. ha tenido a bien confiar:
nos; hemos examinado con
madurez las conclusiones
que quiere defender Fr. Nicolas
Monte Mayor, y nos parecen
dignas de aprobacion,
Palma 15 de Mayo de 1815

Juan Dominguez Cath.^{co}

Antonio Llanes

Fr. Rafael Torrens Cui.^o
Cath.^{co}


5
En cumplimiento del encargo
q V^a ha tenido a bien confiar:
nos; hemos examinado con
madurez las conclusiones
que quiere defender Fr Nicolas
Monte Mayor, y nos parecen
dignas de aprobacion,

Palma 15 de Mayo de 1815

Juan Dominguez Cotto

Antonio Alarcon

Fr. Rafael Torrens, bini.
Cah.º



PROPOSITIONES THEOLOGICÆ

PRÆCIPUÉ ADVERSUS NOVATORUM

HUJUS TEMPORIS ERRORES,

QUAS

PRO DOCTORATU SAC. THEOLOGICÆ OBTINENDO

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPONIT

LIC. D. NICOLAUS MONTEMAYOR

EJUSDEM FACULTATIS, ET JURIS UTRISQUE BACCAL.

PRÆSIDE

R. A. P. Mro. FR. ANTONIO VIDAL

*Artium Magistro, Sacræ Theologiæ
Doctore, in Reg. Litt. Univ. Cathedra-
ratico Primario, et in Reg. Præ-
dicatorum Conventu Sancti
Dominici Priore.*

PALMÆ MAJORICARUM

IN SACRIS ÆDIBUS EJUSDEM UNIVERSITATIS

DIE XXVIII MARTII HORA IV POMERIDIANA.

TYPIS PHILIPPI GUASP.

ANNO MDCCCXY.

Para cumplir con lo prevenido
en el tr.º 2º de las constituciones de
esta R. Licerania Universidad, a
cerca de la conclusión, pareen los
q.º ha presentado, i quise despon-
der D.º Nicolas Mouremayor a
los V. D. D. D.º Juan Bimuelir,
D.º Ant.º Llanera, i R. P. Fray Ra-
fael Torrento, Catedrático de Theo-
logia a quien nombro para un
examen: i hecho me informen
i den por escrito su parecer.
Palma 13 de Mayo de 1815.

Marcos Gn.º Roselló R.º

3
ILLUSTRISSIMO AC REVERENDIS-
SIMO D. D. FR. VEREMUNDO ARIAS ET
TEXEYRO ARCHIEPISCOPO VALENTINO

NICOLAUS MONTEMAYOR

S. P. D.

In ipso harum Thesium limine sta-
tim apparet, Illustrissime Præsul, cur
labores meos theologicos tibi offerendos,
tuoque insigni nomine ornandos censue-
rim. Priores quatuor assertiones quatuor
illæ columnæ sunt, quibus incumbit Tur-
ris Davidica, ex qua mille clypei pen-
dent: Pastoralis, scilicet, Instructio, qua
sex dignissimi Antistites, ad fugam in
persequutione juxta regulas à Divo Au-
gustino præscriptas coacti, exilii, ut ita
dicam, vestri otium sanctificastis. Quem

fructum ex saepius repetita ejus lectione perceperit mens mea, non facile dixerim. Egerat Diabolus (quod sine lacrimis vix queo dicere) ut cum olim utriusque Jurisprudentiae studio vacarem; frequentes perversae sapientiae libri meos pene moverent pedes, pene gressus meos extra terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri, effunderent. Adfuit adjutor in opportunitatibus Deus; manumque meam dexteram tenuit, quousque assiduo studio Theologiae Divi Thomae, vestraeque Pastoralis Instructionis ad tuenda Romanae Sedis jura atque doctrinam ita inflammatum me sentio, ut nihil cordi magis infixum habeam, quam belli adversus novos Sadducaeos, novosque Pharisaeos sustinendi capacem et peritum fieri. Hoc animo, ut vides, Illustrissime Praesul, propositiones elegi, quas disputationi exponerem. Ecce igitur exiguum munusculum, quod tibi sicut gratus offero, sic gratum fore, mihi polliceor. Vale.

ADVERSUS NOVISSIMOS ERRORES ECCLESIAE PERSECUTORUM.

I PROPOSITIO.

Præceptum est ad virtutes pietatis et observantiae pertinens, ut Catholici omnes honorem et reverentiam omnibus Ecclesiae Ministris, unicuique pro suo gradu et dignitate exhibeant. Justissimae igitur sunt latae à SS. Pontifice Pio VI in Constit. Dogmat. *Auctorem fidei* Censurae adversus propositiones 13, 14, 81 Synodi Pistoriensis.

II.

Nec minus justè à prædicto Summo Pontifice hæreseos notâ inusta est propositio IV ejusdem Synodi, quatenus indeterminatis verbis *extendendo ad res exteriores* notat velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptæ à Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriori constituenda et sancienda.

III.

Juxta decreta Sanctorum Patrum, Laici, quamvis religiosi sint (verbis utor Concilii Lateranensis II. cap. 25.), nullam tamen habent disponendi de Ecclesiasticis rebus facultatem. Sunt igitur maxima laude digni Reges nostri Catholici, qui, urgentibus Regni necessitatibus, ad rerum Ecclesiasticarum alienationem auctoritatis Ecclesiae consensum efflagitavere.

IV.

Cæcutiebant patres Pistorienses, et in hæresim

lapsi sunt, cum asserere non sunt veriti: *Postremis hisce sæculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti spectantes ad Religionem, et quæ sunt basis fidei, et moralis doctrinæ Jesu Christi.*

V.

Ecclesia potestatem habet sibi à Deo collatam, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coercendi, atque cogendi: et contraria propositio justissimè damnata est (in Const. *Auctorem fidei* Prop. V) tanquam inducens in systema hæreticum.

VI.

Cum hæreticus adeo pertinax invenitur, ut Ecclesia de ejus conversione non speret; justè et prudenter agit, aliorum saluti providens, ipsumque relinquens judicio sæculari à mundo exterminandum per mortem. Ex D. Thoma. 2. 2. quæst. 11. art. 3.

VII.

Lumina, thimiamata, benedictiones, aliosque sacros ritus rectè ex Apostolica traditione adhibuit Ecclesia. Audax igitur adversus illos est incredulorum loquendi et agendi ratio. Nec minus cæcutiunt, dum exequias mortuorum ab Ecclesia ordinatas parvipendunt.

VIII.

Propositionem 86 Quesnellii à Clemente XI in Bulla *Unigenitus* damnatam, sub ipsa damna-

tione impugnamus: non enim Breviarium, nec Missalia lingua vulgari legi debent.

IX.

Instituta tam Monachalium quam Regularium sunt utilia et salutaria, tum professoribus suis, tum toti Ecclesiæ, tum Civili Societati.

X.

Ecclesia Latina rectè et sapienter præcipit, omnes Clericos Majoribus Ordinibus initiatos perpetuam continentiam servare.

XI.

Votum à Monialibus et virginibus emissum non est illicitum, ut volunt Lutherani, neque adversus legem Matrimonium præcipientem, ut autumant increduli.

XII.

Fornicatio simplex est non solum mala quia prohibita, sed prohibita quia mala. Unde meritò Innocentius XI Propositionem huic contrariam damnavit.

ADVERSUS JANSENIUM, EJUSQUE
SECTATORES.

XIII.

Quinque famosæ Propositiones in *Augustino* Jansenii contentæ justissimè ab Innocentio X damnatæ sunt, et unaquæque earum speciali censura notata prout hic eas subjicimus.

XIV.

Prima Propositio Jansenii hæc erat : *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus secundum præsentem quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant.* Hanc declarat prædictus Pontifex esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam et hæreticam, et uti talem damnavit.

XV.

Secunda : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Hanc ut hæreticam proscripsit.

XVI.

Tertia : *Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Hanc item ut hæreticam condemnavit.

XVII.

Quarta : *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Hanc ut falsam et hæreticam confixit.

XVIII.

Quinta : *Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hanc falsam, temerariam, scandalosam : et intellectam eo sensu, ut Chris-

tus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem et hæreticam declaravit, et uti talem damnavit.

DE DEO ET DIVINIS
ATTRIBUTIS.

XIX.

Deum existere rationibus naturalibus potest demonstrari (adversus Atheos, Libertinos &c.).

XX.

Est in Deo perfectissima Providentia (adversus Philosophos).

XXI.

Omnia etiam minima et vilissima subjiciuntur Divinæ Providentiæ (adversus eosdem, et specialius adversus Ciceronem lib. 2^o de Divin.).

XXII.

Creatura rationalis, quæ per liberum arbitrium dominium habet sui actus, speciali quodam modo subditur Divinæ Providentiæ, ut scilicet ei imputetur aliquid ad culpam vel ad meritum, et reddatur ei aliquid ut poena vel præmium.

XXIII.

Hac speciali Providentia Regnorum et Imperiorum distributor Deus Supremam Potestatem Civilem cui placet, tanquam causa efficiens solus confert, solusque producit.

XXIV.

In Hispania igitur ex. gr. Suprema Potestas, non in abstracto, sed veré et realiter considerata, prout, scilicet, á Deo exit, in Catholico Rege Nostro Ferdinando plenarié residet, non vero in populo, quique illi *resistit Dei ordinationi resistit*. Rom. 13. v. 2.

XXV.

Non solum igitur propter iram (ibid. v. 5) *sed etiam propter conscientiam* tenemur subdi et obedire Regi Nostro Ferdinando, ex potestate sibi á Deo tradita præcipienti, et tributa exi-genti.

XXVI.

Populares ergo non possunt ad suum libitum Dominos delinquentes corrigere, sive popularium nomine totum populum collectivé intelligas, sive pro unoquoque popularium distributivé accipias: utroque enim sensu videtur mihi contraria propositio adversus Wiclef á Concilio Constantiensi damnata.

XXVII.

Nec Bonitati, nec Justitiæ Dei repugnat status naturæ puræ; ideoque possibilis est (adversus Jansenium Tom. 2.).

XXVIII.

Deus etiam post Adæ lapsum vult voluntate antecedente, non otiosa sed activa, omnes homines salvos fieri (adversus Jansenium Lib. 3. de grat. Christi cap. 2.).

XXIX.

Auxilia collata á Deo omnibus omnino homi-

nibus vi hujus voluntatis antecedentis sunt tantum sufficientia, non vero efficacia in sensu Jansenii (adversus Jansenium Lib. 2 de gratia Christi cap. 32).

XXX.

Omnes actiones nostræ liberæ sunt á Deo prædefinitæ, et non tantum præscitæ.

XXXI.

Infallibilis efficacia Divinorum Decretorum circa prædictos actus neutiquam lædit libertatem nostram.

XXXII.

Est Prædestinatio, qua Deus aliquos præ aliis certissimé dirigit in vitam æternam, et ita est necessaria, ut absque ea nullus salvari possit.

XXXIII.

Prædestinatio nullam ex parte nostra rationem habet, sed ex mera Dei Misericordia et voluntate ejus gratuita procedit.

XXXIV.

Reprobatio positiva tam Angelorum, quam hominum est ex prævisis demeritis.

XXXV.

Bonus usus gratiæ in prædestinatis est effectus prædestinationis, quin noceat eorum libertati.

DE FIDE.

XXXVI.

Judicium Ecclesiæ circa Propositiones Janse-

nii, ut ex suo opere depromptas, est infallibile. Merum igitur Jansenistarum effugium est distinctio Juris et Facti.

XXXVII.

Primatum Jurisdictionis Romani Pontificis ex clarissimis Sacrae Scripturae, Conciliorum, Patrumque monumentis veritatem esse fidei defendimus.

XXXVIII.

Primatum Jurisdictionis ex Antiquitatis monumentis, vitro, scilicet, Cæmeteriali, aërea veteri lucerna, quæ Museo Cæsareo Florentiæ servatur, libris liturgicis Æthiopum, Alexandrinorum, Armenorum, cæterarumque Ecclesiarum, sustinemus et propugnamus.

XXXIX.

Nihili facienda est quorundam recentiorum conjectura, qui Primatum Jurisdictionis in dubium vertunt, ex eo quod in nonnullis olim sculptis imaginibus Paulus ad Petri dexteram cernatur: constat enim ex nummis Imperatorum, aliisque veterum, sive Ethnicorum, sive Christianorum monumentis, digniorem esse interdum qui lævam occupat.

XL.

Jansenistæ, quique Romano Pontifici dene-gant Causarum (vulgo) Majorum cognitionem verbo, non re concedunt ipsi Primatum Jurisdictionis. (adversus Febronium, Jansenistas &c.)

XLI.

Romano Pontifici vi Primatus Jurisdictionis

competere, semperque competitivisse Causarum (vulgo) Majorum cognitionem, tum ex genuinis Conciliorum (juxta Labbei Collectionem) monumentis, tum ex Decretalium veterum Compilatione, à Maurinis Monachis recognita, propugnamus. Frustra igitur laborant Wanespenius, Cabala-rius, cæterique, qui adversus istam Romani Pontificis prærogativam in scenam producunt Pseudo-Isidorianas Decretales.

XLII.

Agnoscamus, et propugnamus, potestatem Episcoporum à Domino Jesu-Christo receptam fuisse; attamen cum Doctissimis Orsio et Mamacchio temperamentum vel admixtionem Aristocratiæ in Regimine Ecclesiæ à Theologis Gallicanis inventum ad superioritatem Concilii Generalis supra Papam sustinendam, impugnamus.

XLIII.

A Sede Romana aversos suspicamur asserentes, usum Pallii à Romano Pontifice Archiepiscopis concessum non esse cœremoniam rationabilem.

XLIV.

Ecclesiam Societatem, non Collegium esse asserimus tanquam de fide. Supremum regimen est in ea in suo ordine à Civili absolutè discretum.

XLV.

In hæresis suspicionem incidunt, qui cum Febronio, aliisque Jansenii discipulis asserere audent, quod Suprema Ecclesiæ Jurisdictio in fide

lium Societate, tanquam in proximo et immediato subjecto residet.

XLVI.

Ecclesiam esse infallibilem in Canonizatione Sanctorum asserimus cum Benedicto XIV in suo Opere de Beatif. et Canonis. Serv. Dei. Tom. 1.

XLVII.

Homo sine fide potest aliquod opus moraliter bonum facere; non enim omnia opera infidelium sunt peccata (adversus Baj. et Jans. Lib. 3. de statu naturæ lap.)

DE INCARNATIONE.

XLVIII.

Nulla ratione naturali potest cognosci aut demonstrari Misterium Incarnationis.

XLIX.

Misterium Incarnationis non repugnat immutabilitati Dei, nec est suprema ejus Majestate indignum.

L.

Unio Verbi Incarnati non est facta in natura (adversus Eutichianos).

LI.

Unio Verbi Divini cum natura humana facta est in Persona Verbi, ita ut in Christo unica sit Persona Verbi (adversus Nestorium).

LII.

Patres Chalcedonenses non reprehendendi sunt, sed laudandi, cum clamaverunt adversus Theodoretum hæreseos Nestorianæ suspectum: *Dic apertè anathema Nestorio &c.* (adversus Jansenistas.)

LIII.

Duæ sunt in Christo voluntates, duæque operationes seu volitiones, divina, scilicet, et humana (adversus Monothelitas).

LIV.

Christum sibi aliquid meruisse cum Scholasticis Theologis Propugnamus. Cumque Calvinus propter hanc thesim scholam curiositatis et temeritatis arguat; nos contra, Theologiam scholasticam perutilem in Ecclesia esse sustinebimus.

LV.

Christus nobis meruit omnes omnino gratias, sive actuales, sive justificantes &c.

LVI.

Christus satisfecit pro nobis verè et propriè, et non metaphoricè, ut volunt Sociniani.

Fr. Antonius Vidal.

Marcus D. Ignatius Mare et Rosselló Rector et Pro-Chanc.

Visto
Sala V. G.

Visto
March.

Imprimase
Montemayor.

111. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 112. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 113. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

114. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 115. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 116. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

117. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 118. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

119. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 120. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

121. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 122. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

123. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 124. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

125. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*
 126. *Christus nobis omnia munus gratias
 sive acceperit sive iustitiam fac.*

